Quod felix faustumque sit!

DISPUTATIONEM INAUGURALEM

DE

FEBRI PETECHIALI,

Consensu & auctoritate splendidissimi Medicorum in inclytâ hâc Salanâ Collegii,

SUB PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi atque Experientissimi.

DN. GEORGII WOLFFGANGI WEDELII.

Med. Doctoris ac Theoret. Professoris publici decantatissimi, gratiosi sui ordinis Decani spectatissimi, Medici Ducalis Saxonici felicissimi, S. R. Imp. Academiæ Naturæ-Curiosorum Collegæ meritissimi,

Dn. Patroni, Præceptoris ac Promotoris sui perpetuo cultu ac observantiâ mactandi,

PRO LICENTIA,

Summos in arte medicâ honores, insignia ac privilegia Doctoralia legitimè impetrandi,

publicæ disceptationi subjiciet

JOHANNES GUILIELMUS Eichhorn/

Gothâ-Thuringus, ibidemque Practicus,

Ad d. 17. Jun. A. S. R. CIↃ IↃC LXXIV.

In Auditorio Magno,

horis ante- & postmeridianis.

JENÆ, Typis SAMUELIS KREBSII.

I. N. J.

PRÆLOQUIUM.



EX innumeris calamitatum myriadibus, quibus humana vita exposita est, non ima, sed prima jure meritissimo tenent subsellia BELLORUM TUMULTUS.

Bellum, inquam, *res verè belluina;*

Monstrum horrendum, informe, ingens,

cui lumen ademtum,

potentissima regna, florentissima imperia, fortunatissimas respublicas diruit, immensas opes devastat, evertit, vel in alienam potestatem redigit; quin immanes hominum strages facit, humanumque sanguinem, tanquam aquam, profundit.

Nihil tàm sublime, tàm decorum, tàm sacrum aut sanctum, tàm munitum, quod effera hæc bellua cornibus suis non dejiciat, dentibus conterat, rostro polluat & configat, unguibusque dilaniet atque conculcet.

Hujus crudelitatem hodieque plurimi ducatus, provinciæ, ac potentissimæ respublicæ damno nunquam compensando sunt expertæ & adhuc experiuntur.

Non multò minorem sævitiam exercent in microcosmo innumera morborum agmina. Alia communi furore totas pervagantur gentes, urbes alia, pagos, familias. Quin *quisque suos patimur manes*, quisque hostem in sinu suo sibi fovet & alit.

Horum verò capitalium pacis, quam instructissima corporis nostri civitas, ejusque membra colunt, & cum quâ bellè sibi est, quâ etiam

divitiæ nequeunt regales addere majus,

hostium, alii fundamenta, ædificium totum sustentantia, *ossa* puta, incursant: alii plateas, *membra* seu *artus* premunt: alii mœnia, *cutim*, impugnant: arcem alii, *caput*, cum suis excubitoribus, *oculis*, & exploratoribus, *auribus*, impetunt: alii in portas, quà necessaria introvehuntur, *os*, *nares* irruunt: alii in incolas, variis negotiis, commerciis, opificiis, &c. occupatos, *viscera*, grassantur: alii denique ipsam ipsius reginæ, animæ scilicet, regiam, *Cor* invadunt.

Ut verò adversus hostium insultus, publicam hancce concordiam turbaturos ipsa vindicetur, ex tantâ hostium turbâ unicum INAUGURALIS EXERCITII loco depellendum sumere, ejus naturam, originem, & quibus auxilio divino debellari possit, arma pervestigare, & publico conflictui exponere constituimus.

Hærenti autem, cui dica sit hac vice scribenda, en! atrocissimus, qui plurimis hactenus de plebejâ non modò fece, sed viris etiam in sublimi dignitate constitutis, & de patriâ insigniter meritis fatalem nuncium misit, hostis, FEBRIS PETECHIALIS sese nobis offert.

Morbus sanè, truculentiâ, malignitate, periculosoque eventu, idque eò magis, dum ipsam vitæ regiam, ac splendidum animæ palatium aggreditur, & infestat, nulli secundus.

Huic pro ingenii viribus contraire, obsistere, & eundem è corpore humano exstirpare conabimur, quod benè evenire jubeat, & annuat supremum Numen!

CAPUT I

Definitionem nominalem aggreditur.

ANtiquitatis laude celebris est *Epicteti tom. 1. dissert. Arrian. cap. XVII.* sententia: Ἀρχὴ τῆς παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *principium doctrinæ nominum disquisitio*.

Nomen itaque nostro affectui est FEBRIS PETECHIALIS.

Quà

Quà ETYMOLOGIAM, *Latini* omnes uno vocabulo *febrem* nuncupant, à verbo *ferbeo*, quod idem eſt ac *ferveo*, eſt enim veluti fervor quidam ſeu fervescentia, quâ corpus fervet & æſtuat, licet *Paracelſus lib. 1. paramir. cap. VI. tom. 1.* erroneè nomen à fervore deduci ſcribat, quòd ille ſaltem ſit ſignum morbi, non materiæ, non cauſæ.

Mittimus alias derivationes, ceu nonnulli à *februis*, luſtrationum feſto apud Romanos, deducunt, unde & *Februarius* menſis, quo ab omnibus piaculis urbs luſtrabatur, purgat enim & febris corpora; vel etiam à *feritate*, quam in corpus noſtrum exercet; vel denique à *piſce*, qui *febrius* dicitur, quòd manu captus è veſtigio febrim excitet, quo tamen rejecto, ſtatim homo liberatur.

Græcè febris πυρετὸς dicitur, ab *igne* ſeu Veſuviano æſtu, calore igneo ac incendio; aliquando ſimpliciter *ignem* vocat *Hippocrates*, quin & per πυρετὸν *febrem* plurimis locis intelligit, quaſi non habeat aliam naturam, præterquam igneam, ob intenſum & præternaturalem calorem, quo corpus affligit. Verùm licet vehementiſſima febris eandem ferè naturam habeat, quam ignis, & propterea πῦρ dici poſſit, non tamen reipſa eſt ignis. Neque enim, ſi verè ignis eſſet aliqua febris, animal eâ laborans vel ad momentum vivere poſſet; ita tamen appellatur analogicè, quia magis, quàm alii morbi ad ignis naturam accedit; & quod ignis animalis calore extraneo inquinetur, ſeu calor noſter nativus juxta *Galenum* in igneum convertatur, *1. aphor. comm. 14.*

Aliàs πύρεξις audit, quaſi *habitus* ſeu *diſpoſitio ignea*. Hanc nominis rationem confirmat *Galen. lib. de cauſ. morbor. cap. 2.* quod ſi, *ſcribens*, in totum corpus extenditur calor, tunc hujusmodi affectus *febris* nuncupatur, quæ eſt veluti quædam totius corporis immoderata caliditas.

Avicenna inquit: *febris* eſt calor extraneus, accenſus in corde, & procedens ab eo mediantibus ſpiritibus & ſanguine, per arterias & venas in totum corpus.

Alterum vocabulum PETECHIALIS dicitur à *petechiis*, ſeu maculis, quæ febrim hanc, circa quam occupati ſumus, inſignire ſemper ſolent.

Vox *Petechiæ* in Latio aliàs non usitata, usu tamen recepta, à Græco verbo πετάω, *extendo, pando, explico*, vel πετάομαι *volo*, derivari potest, quia maculæ istæ per universum quasi corpus expanduntur.

Alii ab Hebraicâ radice פתח quod significat *aperire*, eâdem ferè significatione derivant, vel quod his ipsis petechiis fores quasi malignitati aperiri & pandi innuant; alii ex Hungaricâ linguâ natales vocis arcessunt.

Quoad HOMONYMIAM febris dictio latè patet, pro variis febrium differentiis. Hoc loco non *latissimâ* significatione, pro quâcunque φλογώσει accipitur, nec *latè* pro febri in genere, vel in specie malignâ, seu Hungaricâ; sed κατ' ἐξοχὴν illam febrium speciem denotat, quæ additâ petechiarum voce determinatur, & cujus formalis ratio ex subsequentibus mox dilpalescet.

PETECHIÆ vox *latiore* acceptione omnes maculas & exanthemata sub se complectitur, quocunque etiam titulo sive criticè sive symptomaticè in febribus malignis se exerant; *In specie* verò pro illâ febri malignâ κατ' ἐξοχὴν sumitur, in quâ maculæ, *petechiæ* dictæ, semper conspicuæ esse solent.

SYNONYMA prostant varia apud diversos autores. A *nonnullis* enim dicitur *puncticularis Aëtii, pesticularis, stigmatica, pulicaris*. Nominatur etiam *lenticularis, purpurata*, vel in abstracto *peticula, Martian. comment. in Hippocr. pag. 308. lenticulæ* à *Langio lib. 2. epist. 15.* appellationibus desumptis à similitudine, quam hæ maculæ habent cum lenticulis, puncturis & morsibus pulicum. *Nonnulli* etiam *purpuram* & *purpuratas febres* nuncupant, inprimis *Neucranzius*, qui videri etiam quoad hæc pluribus potest, *lib. de purpur. cap. 2. pag. 11. & 12.*

A *Galeno* juxta quosdam *exanthemata sicca*, aliis *pseudopestis*, vel *semipestis*, item *lues Pannonia*, quod in eâ primùm increbuisse dicatur, advertente *Jonstono Syntagmat. med. pract. part. 3. lib. 2. tit. 7. cap. 2. Artic. 3.* appellantur.

Germanis audit ein Fleckfieber, Gallis *le pourpre*, quia ut plurimum maculæ illæ videntur rubræ.

Definitionem realem exhibet.

ABſolutis iis, quæ ad nominis explicationem faciunt, progredimur ad ipſam DEFINITIONEM FEBRIS PETECHIALIS.

Eſt autem *Febris Petechialis intemperies totius maligna, in quâ maculæ pulicum morſibus ſimiles, variorum colorum, ſubrubræ tamen utplurimum, in cute, præcipuè circa dorſum, collum, pectus, & in brachiis cum gravibus ſymptomatibus apparent, à peculiari ſanguinis corruptione.*

GENUS ſeu RATIO FORMALIS eſt *intemperies*, eaque *maligna*, unde ſub febrium malignarum cenſu primo loco militat.

Adeſſe intemperiem totius, & calorem extraneum modo & gradu ſuperaddito accedentem naturali, adeoque uno verbo febrim, patet I. *ex eſſentialiter inhærentibus* in omni febri requiſitis; I. *calore præternaturali*, & 2. *pulſu naturali frequentiore*. II. *Ex poſt eſſentialibus*, ſymptomatibus, actionum ſcilicet læſarum modo, ſiti, vigiliis, &c. *cap. VII. de ſignis* recenſendis.

Intemperies itaque hæc conſiſtit in malignâ quâdam diſpoſitione ſimilarium partium, unde nec ad primarum qualitatum *ἐνέργειαν* ſolum reduci poteſt, licet non ſine qualitatibus primis, ſed ipſis quoque mediantibus agat.

Malignam eſſe, adeoque ex acutarum quoque numero, indicant malignitatis poſtulata & circumſtantiæ, *ſive* reſpiciamus *κακοήθειαν*, ſubdolam & doloſam larvam, quâ fallere apta eſt, ſigna quippe ſæpius offert ſaluberrima & ſanis corporibus ſimilia, præter ea verò unicum vel alterum etiam, quæ omnino lethalem naturam & conditionem oſtendunt: quæ ſane ſigna ſic mixta, ſemper occulti & veneni & periculi præſaga ſunt: *ſive* magnitudinem & vehementiam, majora enim & graviora, quàm ratione eſſentiæ & naturæ febri alias competunt, ſymptomata profert, tum in ſe, tum ratione inæqualitatis, nam incertam & inſtantem obtinet naturam, & ob id incerta & inconſtantia judicia; unde & ſæviſſima

ſympto-

ſymptomata ſæpe majus faceſſunt negotium & periculum, quàm febris ipſa: Quod proprium eſt malignarum febrium & venenoſorum morborum. Hinc, uti jam innuimus, non injuriâ *pſeudopeſtis* & *ſemipeſtis* à quibusdam febris hæc appellatur: *ſive* periculoſum ſtatum, quem inducit, & vitæ maximas ſtruit inſidias, & remediorum virtuti non æquè obſecundat.

Quoad *ſpeciem* febris notandum, utut continua ſemper eſſe ſoleat, nec interpolationem perfectam paroxyſmorum patiatur; ratione tamen quarundam exacerbationum eam ferè *continuam tertianam* æmulari ſolere.

CAPUT III.

Subjectum determinat.

SUBJECTUM hujus febris ut indagemus, ordinis ratio poſtulat, & neceſſitas, tùm, ut morbi ſedes ac natura pateat, tum, ut parti maximè ſuccumbenti eò promptiùs ſuccurri poſſit. Illud vel eſt

UT QUOD, *totus homo* ſeu corpus vivens, ſingulis animæ humanæ potentiis inſtructum, hoc enim reverà & *καθ' ἀλήθειαν* febri laborare dicitur. UT QUO, *corpus humanum*, ut totum integrale ex partibus ſuis aptè diſpoſitis conſtans. Hoc totum in febri hâc afficitur, ſingulæ enim partes calore febrili uruntur.

Sed cùm *Hippocratis elogio lib. de loc. in hom. textu 2. n. 1.* Τοῦ σώματος τὰ μέλεα ἕκαστα τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ ὁπόταν ἔνθα ἢ ἔνθα ὁρμήσῃ, νοῦσον παραυτίκα ποιέει, *ſingulæ corporis partes altera alteri, ubi hinc aut illinc proceſſerit, morbum ſtatim faciat*, operæ pretium eſt, in

SUBJECTUM PRIMARIUM Febris Petechialis inquirere, ut conſtet, quænam corporis noſtri pars πρώτως καὶ κυρίως, *primò & principaliter* in febri hâc laboret, & an illa in cæteras partes omnes tantum æſtum diffundendi vi polleat?

Iſtud COR eſſe in noſtro affectu, & *autoritatibus* & *rationibus* probari poteſt.

Auto-

Autoritas sufficit ex infinitis aliis unius *Galeni*, qui *lib.1. de different. febr. cap.3.* οὐ γὰρ, inquit, ἔγκαυσις, ἢ ἀπὸ τοῦ ἡλίου ἐνέργεια ταύτην ἔχει προσηγορίαν, καὶ αὐτίκα πυρετός ἐστι, εἰ μὴ συνεκθερμαίνῃ τὴν καρδίαν, *sive enim exustio, sive solis operatio, calorem in corpore excitet p. n. nondum tamen febris est, nisi cor unà calefiat.*

ὁμόψηφος est alter Galenus Salanus, *B. Rolfincius*, qui *ord. & meth. cognoscendi & curandi febres gener. cap. XXIV.* nec non *ord. & meth. consult. lib. IV. Cons. 4. & sequentibus*, præcipuum febris subjectum esse *Cor*, latiùs asserit, adeò, ut, etiamsi reliquæ partes calorem habeant non naturalem, is verò ad Cor non pertingat, nunquam oriatur febris; statim autem atque ille cordi communicatur, febris tùm demum suam nanciscitur denominationem.

Cor verò cùm pars organica sit, & ex pluribus diversæ substantiæ constet partibus, designandum erit, secundùm quam maximè patiatur.

Facimus hîc itidem cum *B. Rolfincio*, qui *loco cit. consult. 12.* non solùm partem contentam, sanguinem, præprimis portionem ejus calidiorem & ♃ream, utpote ad febrile malignumque incendium promptissimam; verùm etiam & præcipuè *solidam cordis partem, septo propè apicem conterminam, in quâ est calidi nativi sedes, motusque pulsus principium*, affici testatur.

Rationibus idem probari potest, desumptis à cordis actionibus læsis.

1. *à calore*. Cùm enim Cor fons caloris nativi sit, ceu in scholis medicis & physicis receptum est, nullum aliud viscus designari meretur, à quo externus calor in quacunque febri cum toto corpore communicari queat, præter ipsum Cor. Idem namque caloris naturalis ac præternaturalis subjectum esse, necessum est.

2. *à pulsu*, qui est actio cordis à pulsificâ facultate igneque animali seu spiritibus vitalibus sanguini arterioso immersis dependens.

Certum igitur est, COR PRINCIPALE FEBRIS PETECHIALIS ESSE SUBJECTUM.

SECUNDARIUM seu adæquatum & extensivum subjectum sunt partes totius corporis, quatenus exæstuans sanguis & putredinem concipiens qualitatem suam venenosam singulis microcosmi partibus per arterias, & à toto iterùm cordi per venas circulationis lege communicat.

In specie PETECHIARUM, quà talium, SUBJECTUM est *epidermis* seu *cuticula*, quod experimento indubitato probari potest, vesicatoriis scilicet, à quorum adhibitione unà cum cuticulâ petechias tolli certum est, inde nec cuti, nec intercutaneo spatio adscribendæ sunt. Ut verò corporis summa, ita & interiora omnia viscera, musculos, nervos, cæterasque partes solidas obsidere easdem censent nonnulli, ex hisque primam ducere originem. *vid. Fernel. lib. 4. patholog. cap. 18. pag. 506.*

Illas tamen partes magis subjici petechiis, certum est, quæ rariores sunt, & calore magis foventur, & ab aëre magis defenduntur, unde in plantis pedum & volis ferè videri non solent, cùm occalluerit ibi cuticula, nec facilè in facie, utpote quæ aëri exposita magis est; exempla tamen, maculas tales copiosas occupâsse faciem totam vel dimidiam, annotavit *Egbortus schol. ad prax. Dodon. cap. 19. pag. 98.*

Membra ad Cor *mandantia* varia esse possunt, inprimis alimentorum præparationi, fermentationi, chylificationi, chyli in sanguinem mutationi, sanguinis perfectioni, ac denique distributioni destinata vasa ac viscera, quæ tantum sæpe ut ad febris cujusvis, ita & petechialis generationem facere possunt, ut nonnulli, inprimis *Helmontius*, hæc ipsa pro affectâ parte, ceu vero febrium subjecto, venditent; *vid. Barbett. prax. l. 3. c. 3.* cum tamen subjectum potius causæ dicendæ sint, quàm morbi.

CAPUT IV

causam immediatam & mediatas proximiores investigat.

Mor-

MOrborum CAUSAS quò exactiùs quis cognoverit, eò tutiùs, citiùs & jucundiùs morbo ejusque causis opponere remedia poterit. Conabimur & nos easdem scrutari, iisque compertis tanquam fundamentis totum curationis ædificium superstruemus.

IMMEDIATA Febris Petechialis CAUSA est PECULIARIS SANGUINIS cum putredine conjuncta CORRUPTIO. Ex corruptione prava & venenata emergit qualitas; ex putredine verò febris generatur.

Per *peculiarem sanguinis corruptionem*, missis jam aliorum opinionibus, intelligimus illum massæ sanguineæ statum p. n. quo insignem patitur resolutionem, & non solùm in temperie suâ turbatur, ♀reis exsuperantibus particulis; sed & consistentiæ ejusdem & *συςάσεως* reseratio intentatur à salinis volatilibus regi impatientibus, adeoque conjunctam habet 1. *ebullitionem continuam*, quâ tumultuatur, fervet, & cordi facessit negotium majus. 2. *putredinem enormem*, non quidem Aristotelicam & propriè dictam; sed oppositivam & particularem, quæ inchoatam solùm importat dissolutionem. 3. ex his ortam *malignitatem*, seu illum putredinis gradum, qui magis vel minùs aptus natus est destruere penitus sanguinis vinculum, & in ichorem resolvere. Hinc, ut verbis utamur *Nobilissimi D. D. Præsidis in tract. de febr. MS. cap. de febri Petech.* petechiæ sunt quasi flores quidam à sale volatili sanguinis orti, quando natura resolutionem sanguinis totalem aversata particulas ⊖linas volatiles, ♀reis tamen impurioribus implicatas, ad extimam vestem protrudit, unde in maculis his purpureis virulentiæ phænomena in minori mole consistunt.

CAUSA MEDIATA PROXIMIOR est SANGUIS, isque vel *quantitate* in plethorâ, vel *qualitate*, in cacochymiâ, vel *motu* in obstructionibus peccans.

Plethoram non tàm ad vasa, quàm ad vires intelligimus, in quâ cùm sanguis à naturâ non ita gubernetur, & in totius nutrimentum veniat, facilè, nisi in tempore succurratur, corruptionem & putrilaginem concipit.

Cacochymia seu vitiosorum humorum congeries facilè corruptioni atque putredini fores pandit, inprimis biliosa, quando ex hypothesi *Nobilissimi D. D. Præsidis*, quam nobis hactenus explanavit, alimentarius princeps humor sanguis inquinatus est scoriis biliosis; minister verò seu serum illas non mitigat, sed divortium elementis cruoris importat, seu quod deficiat, quod experimento in V.S ægrotantium horum patet; seu ob abundantes particulas salinas ipsis △reis penitiùs incoquitur: quo de *in citatâ febrium doctrinâ* pluribus agit passim.

Obstructiones tandem omnium febrium genera inferre valent quatenus humores in calido & humido spatio latitantes, si debita & sufficiens transspiratio denegetur, ad recipiendam putredinem promptissimi redduntur.

CAUSA EFFICIENS apud medicos multis controversiis est implicita. Alii enim naturæ robore, adeoque *criticè*; alii ejusdem infirmitate, atque sic *symptomaticè* petechias erumpere contendunt.

Ut nostram mentem in tanto dissensu aperiamus, notatari meretur:

1. quamcunque vitiosi humoris, præsertim ad corporis superficiem exclusionem, naturæ, se ab eo, quod sibi molestum est, & seditionem facere cœpit, liberare cupientis, robore adornari. Humorem peccantem cogit à massâ sanguinis absistere & abscedere, ut hoc loco *καῖ ἀπόθεσιν per depositionem* dispergatur, & in totum ferè sparsim disseminentur exanthismata, morsiunculis pulicum similia. Vid. *Linden. meletem. med. Hippocr. sect. 2. cap. 24. pag. 82.* Admonetur autem natura & invitatur ad expulsionem, vel à materiæ *quantitate*, & mole, vel *qualitate*, vel *utrâque* simul.

2. Naturam in opere hoc non confusè; sed distinctè, observato certo ordine, procedere. Nihil enim, modò omnia tanquam in instructissimâ œconomiâ rectè fiant, & ipsa non turbetur, nisi ritè præparatum, & ad exitum maturum extrudit. Quoniam verò præparatio hæc in momento fieri nequit, sed moram aliquam requirit, patet, criticam, seu naturæ

viri-

viribus institutam, adeoque laudabilem evacuationem in morbi principio nullam fieri posse: sic enim non *criticè*, hoc est, sponte & proprio motu ac conatu; sed coactè seu *symptomaticè*, materiæ scilicet malignitate irritata eam tentat; & si talis dicenda sit, legitimâ, & ad præparationem sufficiente morâ prægressâ fieri necesse est.

Hinc etiam saniores medici, inprimis *Sennertus l. 4. de febr. c. 13. p. 517. triplicem* in corpore nostro naturæ, quem tùm in aliis evacuationibus, tùm & in petechiarum ad extimam corporis superficiem eliminatione observat, motum adverterunt:

1. *Criticum*, quo materia superata, &, ut decet, cocta die critico à massâ sanguineâ secessum, naturæ præsertim vigore adjuta, meditatur; quo ipso partes corporis internæ à vitiosorum humorum colluvie liberantur, ipsi in locum à caloris fonte remotissimum excutiuntur, malignitati fomes subtrahitur, & morbus salutari & lætabili eventu solvitur: id quod tamen in petechiis minus frequens est.

2. *Symptomaticum*, quo rudis adhuc & indigestus humor initio morbi, atque sic ante sufficiens ac legitimum coctionis tempus, exitum parat: quod sæpius in petechiis observatur: vel, quando natura, uti dictum jam est, refugit exterminium sui, & hinc coactè & irrito sæpe conatu expulsioni incumbit, & tunc inprimis, juxta *Sanctorium Med. Stat. sect. 1. aphor. 105.* peticulæ fiunt, quia maligni ichoris perspiratio impeditur.

3. *Medium*, quo naturæ vigor & materiæ cruditas ambigunt, & in æquilibrio pendent, ubi scilicet natura mediocribus viribus materiæ digestionem aggressa, illam ex parte corrigit, & præeuntibus quibusdam coctionis signis nec vincens robore penitus, nec succumbens tamen, sed contra nitens exclusionem instituit.

Suppositis his petechiarum ad corporis extrema eruptionem, interdum quidem κριτικῶς, ut plurimum tamen συμπτωματικῶς fieri, colligitur.

 CAPUT

in mediatas causas remotiores inquirit.

INter NATURALES excellit

TEMPERAMENTUM *calidum* & *humidum*, quod corruptionem & putredinem facilè admittit, & febri petechiali planam viam sternit. *Siccum* etiam bili generandæ humorumque exæstuationi & ebullitioni favet.

ÆTAS nulla quidem ab hâc febri immunis est ac libera, præprimis verò *juvenilis* ad fomitem malignum febrilem suscipiendum magis prona est. Visæ sunt febres petechiales corripuisse & è medio sustulisse *senes* rariùs; *consistenti* verò *ætate*, quæ prona ad febres ardentes dicitur *3.aph 30.* plurimos, rarius *infantes* & *pueros*.

SEXUS neuter principatum obtinet. *Fœminæ* tamen ob humidiorem constitutionem huic morbo habiliores: *Mares* verò acriùs & vehementius eodem corripi videntur.

HABITUS CORPORIS *rarior* ob pororum amplitudinem tàm ad contagium suscipiendum, quàm vitiosorum in corpore latentium humorum turbam, & ferocientium amplius spatium, si leve occurrat erratum, reliquis magis idoneus est. Quod si verò malignitatis gradus exsuperet, etiam promiscuè magis hos illos corripit morbus.

RES NON NATURALES τὸ σῶμα ἐξ ἀνάγκης ἀλλοιοῦμεναι, *corpus nostrum necessariò immutantes*, quando à temperie suâ nostro calori innato debitâ deflectunt, malignorum & venenosorum morborum matres esse possunt. Primum ex his locum obtinet, quo ne ad momentum quidem carere possumus.

AER, *tum* is, qui pulmones inspiratione ingreditur; *tum* is, qui cum alimentis consociatur; *tum* & is, qui corporis nostri superficiem circumcirca cingit & in cutis poros se insinuat. Et prout hic omnibus communis hominibus est, ita communes etiam illius vitium morbos inferre potest. In-

primis

primis multum valet ad *σύστασιν* & *κρᾶσιν* sanguinis alterandam.

Vitium verò contrahit & infestus nobis redditur *tribus modis:*

1. Si suavibus ac salubribus ventis, ipsum depurantibus & impuritates ejus discutientibus, quales sunt, subsolanus, favonius, & boreas, non agitetur, sic enim facilè putrescit, & flammulæ nostræ vitalis pabulum simul inquinat. Hinc & *divinus senex* gravissimam pestilentiæ constitutionem, quòd sine aurâ annus fuerit, *l. 3. epidemior.* exaggerat.

2. Si tetris, putridis ac malignis exhalationibus & moleculis inquinetur, & contagii vehiculum fiat.

3. Si primarum qualitatum excessum patiatur præposterum, & inæqualitate peccet, *ὅταν τ' ἡμέρης ὁτὲ μὲν θάλπος, ὁτὲ δὲ ψῦχος γίγνηται*, *quando eâdem die modò calor modò frigus fit. 3. aph. 4.* ita enim vitiosis & malignis humorum mutationibus fores patefiunt. Præprimis verò *æstate* juxta *3. aphor. 21.* frequentiùs creduntur ingruere malignæ Petechiales, unde *Sanctorius l. c. sect. 2. aphor. 35.* adiapneustiam *æstate* malignam febrem, *hyeme* vix minimam alterationem efficere posse, *scribit.* Verum id experientia in nostro climate refutat, quin sæpius observavit febres petechiales apud nos grassari *hyeme Nobilissimus D. D. Præses,* quàm æstate.

Non multò minoribus post aërem viribus ad Petechias generandas pollent ALIMENTA & POTULENTA, pro futuro ignis vitalis fomite assumta. Certum enim est & extra omnem controversiam positum, ex vitioso victu innumerorum morborum apparatum contrahi: hinc & *Galenus lib. de cibis bon. & mal. succi* & *1. de differentiis febrium cap. 3.* corrupta & vitiosa alimenta malignorum quoque & pestilentium morborum promtissimum incentivum præbere, invictè demonstravit. Eadem incommoda & POTUS inferre potest, quando *vina* generosa copiosiùs, vel corrupta & vapida bibuntur: vel *aqua* ex cœnosis piscinis, putridis stagnis & lacubus, aliisque locis quietis, aut alio quovis modo inquinatis hauritur.

Nota-

Notabile hanc in rem exemplum ex analectis *Nobiliss. D. D. Præsidis* citamus. Diu in Insula *Melita* seu *Maltâ* mense Augusto febres pestilentes viguere. Has refundebant quidam in malignitatem aëris: sed demum observatum, luem existere, quia tunc lina aquis intingebantur: id prohibitum cum esset, annis consequentibus disparuêre febres, referente *Bosio in historiâ Melitensi*; quod ex illo allegat *Briet. Parall. Georg. Vet. & Nov. tom. 2. part. 2. lib. 1. cap. 6. pag. 1046.*

Hæ duæ res nonnaturales modò recensitæ maximarum ad febrium petechialium productionem sunt virium.

Cæteræ verò magnæ quoque sunt efficaciæ, & concurrunt itidem ut causæ προκαταρκτικαὶ, occasionales & adjuvantes, vel humores ad malignam hujusmodi corruptionem suscipiendam idoneos reddendo, vel generatum affectum, latentem tamen & sepultum commovendo, turbando, & in apricum producendo.

MOTUS tùm *corporis* tùm *animi* ad excitandam flammam vitalem, spiritus agitandos, & calorem præternaturalem concitandum, maximam obtinet vim, præsertim in corpore cacochymico intempestivè institutus, adeò ut non desint, qui statuunt, ex motu nimio febrim malignam oriri posse, etiam absque præcedente contagio.

VIGILIIS continuatis efferantur spiritus, serum labascit & dissipatur, ipsaque sanguinis purpura nimiâ rarefactione facilè fatiscit in pejorem statum.

ἈΔΙΑΠΝΕΥΣΤΙ'Α & pororum constipatio frequentissima tum in genere aliarum, tùm inprimis petechialis Febris mater est. Tunc enim, verbis *Excellentissimi D. D. Præsidis loco citato*, quasi condensatur sanguis, & fuligines 🜍reæ & acidæ retinentur, hinc intestinus motus & ebullitio. Par ratio est reliquorum excerni vel retineri solitorum.

ANIMI PATHEMATA quasi immediatum in spiritus habent imperium, unde *ira* ζέσις τῦ περὶ τὴν καρδίαν θερμοῦ, *terror*, *timor*, toto die funestum hunc procudunt inimicum.

Ex PRÆTERNATURALIBUS non exigui momenti est epidemium in morem grassantis hujus mali hostilitas,

tas. Hâc enim humores ad putridas ac malignas impressiones disponuntur. Symptomaticam petechialem Febrim in inflammationibus perniciosis notavit *Neukranzius*: cui subscribit *Jonston. loco suprà c. 1. citato.* In dysenteriâ epidemiâ plurimos simul correptos petechiis fuisse annotavit in frequenti praxi suâ *laudatissimus D. D. Præses*, variolis item malignioribus non rarò interspersas vidit, ut alia brevitatis causâ hîc non recenseamus.

CAPUT VI

Differentias excutit.

HÆ desumi possunt ex *triplici* fonte:

I. Ex FORMALI RATIONE: & 1. quidem ratione IDEÆ FEBRIS. *Aliquando* febris hæc ad putridarum naturam accedit, & tunc mitior est: *interdum* malignarum exquisitarum classi se adjungit, & tunc aliquando continens est, aliquando continua periodica.

2. IPSARUM PETECHIARUM 1. in *quantitate*, tum *continuâ*, aliæ grandiusculæ, aliæ minores; tùm *discretâ*, jam copiosæ sunt, jam paucæ. 2. *Colore*, aliæ rubræ, à sanguinis purioris corruptione: aliæ flavæ vel virides à bile: aliæ puniceæ vel nigræ, ab humore atro. Petechias *nothas* seu *spurias* ex *Zacuto* non malignas: ex *Marcello Donato* cum miti, quandoque sine febri, annotavit *Jonst. Syntag. med. pract. part. 3. lib. 2. tit. 7. c. 2. artic. 3.* id etiam *Nobiliss. D. D. Præses* se vidisse refert *l. c.* in fœminis suppressione mensium laborantibus & pueris.

3. VEHEMENTIA, symptomatibus jam *mitioribus*, jam *vehementioribus* affligit, jam *magis minusve* maligna est.

4. MOTU AC TEMPORE: jam *longiori* jam *breviori* intervallo sua decurrit tempora. *Æstate* alia, alia *hyeme* invadit.

II. Ex MATERIALI seu SUBJECTO. Alia *majorem* solidæ *cordis* substantiæ *partem* occupat, alia *minorem*. Petechiæ nonnunquam per *brachia*, circa *claviculas*, per *dorsum* &c. solum dispersæ sunt.

III. CAUSARUM ratione totuplex, quot recensitæ fuere causæ, assignari potest.

CAPUT VII.

De Signis Diagnosticis.

TAnta signorum diagnosticorum est *necessitas*, quanta aureæ *Tralliani l. 9. cap. 1.* sententiæ, *veritas* est: ὀρθῆς θεραπείας πηδάλιόν ἐστιν ἡ διάγνωσις, *internotio rectæ sumtionis est fundamentum*.

Eandem internotionem & in nostro affectu sciscitabimur, & quibus arietibus corpori nostro insultet, dispiciemus.

SIGNA IMMINENTIUM febrium Petechialium & aliarum malignarum, *regioni* toti quidem, si epidemia sit lues, ex aëris, aquæ & terræ insolito statu, & insignibus mutationibus aliquo modo desumi possunt, qualia phænomena pestem præprimis præcedere solent. *Individuo* verò huic vel illi imminere febrim hanc concludi potest, si grassetur in urbe vel vicinia eâdem, quando corripiunt κόποι αὐτόματοι, *lassitudines spontaneæ 2. aphorism. 5.* terror prægressus, contagium, torpor, gravitas & quasi confractio membrorum, aliique similes morborum nuncii.

ADVENTANTEM jam & PRÆSENTEM varia demonstrant signa, licèt collectivè & conjunctim consideranda.

I. Ἀπὸ τῶν ἐνεόντων κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον, AB ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS; Accedit HORROR, seu horripilatio, præsertim in dorso, ita interdum, ut ægri caussentur injurias aëris, nec calefieri satis posse corpus querantur, delatis quippe ad partes sensiles unà cum alterato sanguine halitibus acribus & mordacibus. Succedit CALOR præternaturalis, levior quidem visus, præsertim, si aëri adhuc exponatur corpus; &, uti ferè fieri assolet, ægris aliud potiùs quidvis accusantibus, quàm febrim, quam tantopere aversantur; hinc verò ingravescens, licet ut plurimum, cùm mitior sæpè appareat, quàm in benignis, fallat vel hoc nomine ægros, donec tandem vires vacillent & decumbere cogantur, magno cum damno suo tamdiu sæpè contranitentes.

Hinc II. τὰ ἐξ ἀνάγκης ἑπόμενα POSTESSENTIALIA symptomata omnis generis pleno impetu erumpunt,

v. g.

v. g. in ACTIONIBUS LÆSIS FACULTATIS NATURALIS, omnis emoritur *appetitus*, nausea interdum & vomitus, ut non rarò videatur credulis ægris stomachi vitium, singultusque subsequuntur. *Sitis* vel immodicè torquet, nec æstuantia viscera solatur potus etiam largior, vel præter rationem cessat.

In FACULTATE VITALI vires desubitò vacillant, languor adest magnus, præter rationem, magis quàm vel morbi duratio, vel febrilis calor, vel alia occurrentia videantur inferre posse; imò de hoc solo ferè conqueruntur sæpè, quod & potissimum malignitatis κριτήριον, pulsus primò validus & citatior, hinc symptomatibus in lucem prodeuntibus majoribus frequens, inordinatus, & inæqualis micat. Sæpè etiam intermittit, qualia exempla vid. apud *Wierum in observ. p. 65. seqq.* idemque observavit *Nobiliss. D. D. Præses anno II. ephemer. German. obs. 237. p. 339.* Respiratio difficulter procedit, anxietas urget, cor tremit, & in dispositis nonnunquam lipothymia succedit.

Notandum tamen hoc loco, quod *laudatissimus D. D. Præses* nunquam ferè potuerit deprehendere, calorem & pulsum respondisse penitus naturali, quod vulgò scriptitant contingere, adeoque id omne intelligendum esse credit non tàm ratione Medici prudentis, & in œconomiâ microcosmi experti, quàm respectu ægroti, cujus opinioni ita videtur. Signa ergò hæc non tàm apparenter, quàm reverà majora sunt.

In FACULTATE ANIMALI, dolor capitis, vigiliæ urgent, somnus inquietus, turbulentus, laborem faciens, interdum & dormiendi invitat necessitas, deliria & furores non rarò in augmento succedunt, aures tinniunt, obsurdescunt, sapores deficiunt, oculi scintillant, torvum vident, rubent, lingua scabra fit, aret, nigricat, finditur, tussis sicca, corporis jectigatio, inquietudo & motus convulsivi metuendi.

In EXCRETIS cutis squalida, rariùs uvida, vel sudores frigidi, fluxus alvi biliosi facilè oriuntur, alvus tamen communiter magis obstruitur, stillant nares sanguine, urina ruffa, tenuis, aliquando sanorum similis, cum humores plus

malignâ qualitate peccant, quàm putredine. Lumbrici excernuntur quandoque.

In QUALITATIBUS tandem MUTATIS præcipuè notandæ petechiæ, quæ cum essentialibus morbi signis præcipuè hanc febrim notant. Γίγνονται γὰρ, verba sunt *Aëtii lib. 5. cap. 130.* ἐξανθήματα κατὰ ἀρχὰς μὲν τῶν πυρετῶν, οὐ τῶν ἁπλουστέρων, ἀλλὰ τῶν κακοχυμοτέρων, περὶ ὅλον τὸ σῶμα μώλωπες ἐμφερεῖς τοῖς ἀπὸ κωνώπων δήγμασιν. *In ipsarum verò febrium principio non simplicium, sed malignarum gignuntur quoque exanthemata, sparsim per totum corpus vibices, aut maculæ culicum morsibus similes.* Maculæ hæ colore, numero & aliis variant, utplurimum sunt ex nigro rubræ, seu puniceæ, rubentes exactè nunquam observavit *Nobiliss. D. D. Præses*, præterquam in benignioribus. Et hæ potissimum constituunt particulare hujus febris signum, die quarto, septimo, vel serius utplurimum erumpentes: Reliqua jam recensita aliis quoque communia sunt malignis. Neque hæc adeò nova sunt producta, quin *Nobiliss. D. D. Præses in MS. de febribus citato ex Hippocrat. lib. 7. epidem. cap. 41. textu 31.* observavit, mentionem ibidem fieri ὡς ὑπὸ κωνώπων ἀναδηγμάτων, *velut culicum morsuum*, lethali cum eventu.

Cùm verò exanthemata in febribus malignis latè admodum pateant, notis opus est, quibus petechiæ ab aliis tùm maculis, tùm protuberantiis sint discernendæ. Id optimè fieri potest, si notemus earundem descriptionem & affectiones, recensitas à *Martiano loco citato*. 1. enim *in his cutis plana* est, solo colore vitiata, unde differunt à morbillis, à scabie, & variolis, asperitatis & aliorum accidentium, quibus hæc insignita sunt, defectu. 2. In petechiis *nullus* omninò *pruritus* adest, unde differunt à lichenibus, scabie, erysipelate. 3. *figura*, *locus*, adjuncta *symptomata* alia easdem à maculis scorbuticis, nævis, lentiginibus & similibus discriminant.

CAPUT IIX
Signa Prognostica examinat.

ABsolutis signis diagnosticis pergimus ad PROGNOSTICA.

Quoad SALUTIS & MORTIS prædictionem GENERIS ratione ab ESSENTIALITER INHÆRENTIBUS febris hæc est morbus *acutus*; jam verò generali *Coi* effato 2. *aphorismi. 19.* τῶν ὀξέων νοσημάτων οὐ πάμπαν ἀσφαλέες αἱ προδιαγορεύσιες, οὔτε τοῦ θανάτου, οὔτε τῆς ὑγιείης. *In morbis acutis non omninò certæ sunt salutis aut mortis prædictiones*; Adeoque ἐνδοιαστὸς *dubius* & periculosus, quo ipso tamen innuitur, non æquè semper esse lethalem, sed multos feliciter evadere.

Magnus est morbus, διὰ τὸ κύριον τοῦ πεπονθότος μορίου, *ob affectæ partis præstantiam*, in corde & totâ massâ sanguineâ incendium viget, quò major hîc calor præternaturalis, eò periculum majus.

Magnus est & periculosior ratione διαθέσεως *dispositionis*, si dissimilis sit ætati, anni tempori, & naturæ, *2. aphorism. 34.*

Magnus est denique ob κακοήθειαν, quò magis in homines grassatur, quò plures eodem tempore decumbunt, quò plures obeunt, eò periculosior.

Magnitudo verò hæc non tàm spectanda est κατ᾽ ὄψιν καὶ φαντασίαν, blanditur enim & fallit instar canum, qui minus latrant, acriùs mordent, instar aquarum lento gradu profunditatem abscondentium, quàm κατὰ δύναμιν, & malitiam, quam in recessu gerit.

POSTESSENTIALIA symptomata, si gravia statim irruunt, si majori recessu à statu naturali, pejus omen præbet febris; sin mitiora reverà, melior affulget spes, & quidem

In facultate vitali, pulsus in magnitudine *constans*, & *æquali* tenore micans, nec in pejora indies ruens, spem semper præstat meliorem, utut calor & intemperies multùm & intensè urgeant; sin *parvus* sit, *inordinatus*, & *inæqualis*, periculosæ plenum opus aleæ exhibet, præcipuè si mox in initio deprehendatur debilior. *Intermittens* pulsus non adeò malus semper est, si crebriori ictu natura se superiorem monstret, morbus rariori interpolatione ejusdem minorem, quo de videri potest *Wierus observ. l. c.* sic etiam bonum est, si *vires* non statim citra rationem labascant, sed constent in æquilibrio, si minor anxietas, si *respiratio* non sublimis. His contraria si occur-

rant, sinistri eventus metus imminet. In genere cum *Sennerto* concludere possumus: *Quò vires fortiores & symptomata mitiora sunt, eò melior morbi eventus sperandus; Contrà, quò vires debiliores, & symptomata graviora, eò morbus est periculosior.*

In naturali cibi & inprimis carnium *fastidium* adeò malum non est, quin ordinariè, non priùs ferè plenariæ restitutionis spes est, quàm has iterum appetere incipiant. *Sitis ἄμετρος incompescibilis*, cui nullus humor sufficit ad satiandum, loquimur cum *Senecâ*, cujus desiderium non ex inopiâ, sed ex æstu ardentium viscerum oritur, malum est signum. *Deficiens* verò pejor, sive priùs intensa fuerit παραλόγως λυθεῖσα, *præter rationem soluta, Hippocr. Coacar. prænot. text. 87.* sive minus. Notat quippe, naturam non sentire amplius stimulos, & succumbere. Ad oblata verò bene se habere, bonum est.

Ex animali, delirium statim in principio accedens & urgens, quod à somno non compescitur, *oblivio*, negligens *decubitus*, & *denudatio* indecens, *motus convulsivi, tremores, vigiliæ* contumaces, *singultus*, prava signa sunt. Inprimis *singultum* tanquam signum ad mortem in febribus malignis prædicendam se nunquam decepisse, *Epiphan. Ferdinand.* DEUM testatur.

Βαρυηκοΐα verò in febribus malignis & petechialibus non æquè mala est ac cætera symptomata, fit enim ob materiam ductum cartilagineum in palatum ex aure meantem obstruentem, quæ sæpe desinit in ptyalismum, teste *Sim. Pauli, digress. de febr. malign. pag. 16, 17.* Hoc semper optimum præsagium innuisse circa declinationem, seu post statum, observavit *celeberrimus D. D. Præses*. Oculi si ferociam præ se ferant, cum aliis signis malis, rarò evadunt ægri, ut & rarenter evadunt illi, quibus sine ophthalmiæ indiciis bulbi oculorum dolent.

In EXCRETIS petechiæ die nono, undecimo, apparentes, cum signis coctionis & virtutis robore adeò malæ non sunt semper, sed vitæ præcones quandoque. Contrà, si statim in principio erumpant, si lividæ aut nigræ, si paucæ vel copiosissimæ, malum est signum, præcipuè, si cum respiratione difficili & anxietate ad interiora fiat recursus. Reliquæ excretionis species, hæmorrhagiæ, sudores, alvi dejectiones, moderandæ

randæ sunt secundùm διαφορὰν tolerantium, & secundùm hanc, eorumque conditiones prognosticum faciendum. Aliquoties vidit *Excellent. D.D. Præses* sanguinis sputum conjunctum bono cum successu, tussim etiam non malam notavit.

QUALITATIS MUTATÆ. *Facies Hippocratica in prænot. text. 2.* descripta, πρόσωπον δεινότατον, *horrendissima* est, καὶ συντόμως θανάσιμον, *brevi lethalem* fore notat, signis aliis præsentibus.

CAUSÆ intuitu pejores sunt febres petechiales à domestico vitio, quàm à contagio, pejores eæ, quæ maligniores.

Ratione DURATIONIS brevis est hic morbus, nisi enim primâ suffocetur in herbâ, acutorum more intra 14. dies finiri solet, *2. aphorism. 23.* si vires constent & nullus error committatur.

MODUS EVENTUS variat. Solvitur enim crisi AD SALUTEM, per *narium hæmorrhagiam*, *vomitum*, *diarrhœam*, *abscessum*, vel etiam *diaphoresin*, discussâ materiâ morbificâ, & restituto sanguinis tono, ubi sæpè levis horror non infelix est nuncius.

AD MORTEM terminatur *motibus convulsivis*, *hæmorrhagiâ symptomaticâ*, diffluente quasi cruore, nec amplius in alveis suis contineri apto, sudoribus frigidis.

CAPUT IX.

Ad curationem se accingit, & Fontem Chirurgicum aperit.

CURATIO febris Petechialis absolvitur METHODO MEDENDI & PRÆSIDIORUM MATERIIS.

METHODUS MEDENDI nititur INDICATIONIBUS, tum CURATORIA, quæ ipsi morbo ejusdemque causæ immediatæ debetur, partium æstum mitigat, humorum fervorem temperat, eorum malignitatem ad benigniorem mentem reducit, & naturam per loca convenientia se exonerantem adjuvat; tum PRÆSERVATORIA, quæ causas remotiores

tiores respicit, corruptos scilicet humores, malignitatis nidum, corrigit, digerit, evacuat, atque sic, ne malum augeatur, vel profligatum redeat, omnem lapidem movet: tùm VITALI, quæ vires tàm suppressas & succumbentes reficit & confortat, quàm præsentes in vigore conservat.

PRÆSIDIORUM MATERIÆ desumuntur ex famosissimis fontibus, CHIRURGIA, PHARMACIA, & convenienti rerum non naturalium regimine, seu DIÆTA.

E fonte CHIRURGICO prodeat celeberrimum illud auxilium, VENÆSECTIO.

Magni momenti quæstio est, *an in febri petechiali sanguinis missio ex usu sit?* ubi *tres* ferè *classes* offendimus autorum.

Alii promiscuè illam præcipiunt, innixi fundamento *Galeni lib. 11. methodi med. cap. 15.* quod venam secare in omnibus febribus, quas putrescens humor accendit, saluberrimum sit, cum levata natura parte oneris feliciùs faciliusque cum hoste prælium inire, & victoriam reportare possit.

Alii penitùs eandem proscribunt, nixi præter autoritatem *rationibus* & *experimentis*. *Rationes* potissimæ sunt: 1. quia vires ita debilitantur, quarum ratio maxima habenda, neque enim tàm, malignum quod est, educi, quàm ipsum virium fontem, bonum quoque & potissimum quidem, sanguinem. 2. quia venenum longè potentiùs tunc prædominium acquirit, & tumultuatur, dempto freno. 3. *Experientia Fracastorii, Brunneri, Thoneri l. 1. observ. med. 33. Mindereri*, & *aliorum* prostat, malè cessisse V.S. omnesque eos, quibus secta fuerit vena, fatis occubuisse.

Alii denique non ἐμπειρικῶς & promiscuè V. S. admittunt vel rejiciunt, sed quid facto opus sit, ex circumstantiis colligunt. Verum est, variare malignitatem, & quandoque malè cedere V.S.; sed alio tempore visum quoque est contrarium penitus, illos scil. mortuos fuisse, quibus remedium hoc adhibitum non erat. Unde regulæ loco esse potest præceptum *Hippocratis* in acutis morbis venam secandam esse, 1. ἢν ἰσχυρὸν φαίνηται τὸ νόσημα, *si vehemens appareat morbus*, si major calor, quàm malignitas, si plethora juncta ipsa quoque minitetur

tetur

tetur periculum majus, aliaque adsint urgentia. 2. Καὶ οἱ ἔχοντες ἀκμάζωσι τῇ ἡλικίῃ, *& qui ipsum habeant, in vigore ætatis fuerint*, nec senes sint decrepiti, nec pueri; sed in flore ætatis constituti. 3. καὶ ῥώμη παρῇ αὐτέοισιν, *& virium adfuerit robur.* Hæ verò minus adhuc attritæ sunt in principio, unde *Crato* rectè vel ante tertium diem sanguinẽ mittendum, vel prorsus omittendam esse illius emissionem suadet, *lib. 2. consil. 28. pag. 213.* & *lib. 3. cons. 16. pag. 87.* Adde, quod experientiâ *Excellentissimi D.D. Præsidis loco cit.* magis conveniat, si sero abundaverit magis sanguis, minus verò in statu contrario, & quidem, uti diximus jam, vel primo vel secundo statim die.

Quantitatem indicant, tùm ægri constitutio, tùm morbi vehementia, tùm vires præsentes ac futuræ. *Locum* determinant itidem ægri constitutio, nec non sexus. Suppressis mensibus vel hæmorrhoidibus pes, aliàs verò brachium esse potest.

Vicariæ V. S. sunt CUCURBITULÆ, quas, circumstantiis tamen itidem ponderatis, in malignis pulicaribus & pestilentibus febribus, præcipuè in apparitione exanthematum, sive critica fuerint, sive symptomatica, profuisse, experientia testatur. Vid. *B. Rolfincius ord. & meth. comment. lib. 4. sect. 4. c. 1. p. 395.* Confer *River. l. 17. cap. 1. p. 655.* Sic etiam *Crato lib. 1. epist. 11. p. 221.* scarificationes, & omnes cutis exulcerationes, quò & VESICATORIA spectant, plurimùm laudat.

Commendata itidem ea ipsa sunt à *Lotichio lib. 5. observ. medic. 15. cap. 7.* & *excellentissimo Horstio decade epistolar. medicin. epist. 10.* & à *B. Rolfincio* sæpius cum fructu in usum tracta fuere. Conferri meretur *Galenus lib. 5. de simplic. medic. facult. cap. 17.*

Pertinent huc & FRICTIONES blandæ dorsi, manuum & pedum, utiliter adhibendæ.

An verò apparentibus petechiis V. S. ex usu sit, legi meretur *Neukranzius lib. de purpurâ cap. 24. pag. 385. Banzerus decad. med. 3. §. 10.* & præ reliquis *Septalius lib. 5. caut. 35.* Quâ in re utique & petechiæ, earumque eruptionis modus, & ipsum subjectum patiens benè consideranda sunt.

Pharmaciam exhibet.

Fons PHARMACEUTICUS omnium primò nobis præbet

PURGANTIA, quæ *an in hoc affectu sint in usum accersenda?* non levis inter autores est dissensus.

Res distinctione inter *morbi tempora, naturæ motum* & *purgantium materias* expediri potest.

1. Institui debet purgatio, ut corpus excrementis vacet, *initio* statim ante tertium vel quartum diem, dum vires adhuc constant, adeoque itidem hoc loco valet regula *Cratonis*, quam de V. S. adduximus, *progressu* verò *temporis* ab evacuatione abstinendum est. In *declinatione* etiam, febri remittente, circa 14. diem, ut reliquiæ malignitatis ac putredinis educantur, administrare purgationem nihil prohibet: imò eâdem sæpè opus est, ne propullulent nova symptomata; non tamen id valet, nisi ubi vires permittunt, nec alia adsunt contraindicantia. *Post septimum diem* purgare non licet.

2. Purgante *naturæ motus* adjuvari potest, si inclinatio vel *ad vomitum* adsit, ut si sentiatur ventriculi morsus, vertigo, nausea, &c. vel *alvi fluxum*, si adsit intestinorum aut ventriculi anxietas, ventris inflatio, rugit⁹, flatus &c. si in vasis cacochymia, vel in primis viis restagnatio humorum id urgeat; si verò crisis aliò tendat, naturæ motus purgante non est turbandus.

3. *Purgantia fortiora* utique sunt noxia, quia vires prosternunt, & humores nimis turbant atque commovent. *Leniora* ab hisce noxis eximuntur; imò, elogio *Brassavolæ comm. in lib. 4. Hipp. de victu acut. pag. 38.* totis viribus niti debet medicus, ut alvus servetur aperta. Materiæ possunt esse: *cassia, manna, sirup. ros. solutiv. cum infus. rhabarb. flor. prunor. sylvestr. pulp. tamarind. aloëtica &c.* quibus *Crato camphoram* addi jubet, seu ea, quæ simul ad malignitatem habent respectum.

℞. *aq. card. benedicti, scordii* āa. ℥i.
extract. rhabar. ℈. xv. *scammon.* △*rat.* ℈. v.
spir. ♀*ri* gutt. vj. *sirup. sambuc.* ʒvj. M. f. haustus.

℞. *rad.*

℞. *rad. scorzoner.* ℥ß. *fol. sen. s. st.* ʒiij.
rhabarb. Alexandr. ʒij. *flor.* 4. *cordial.* ãa. p. j.
cryst all. ♀ ʒj. Coque in sufficienti quant. ▽ *scorzon.*
Colatur. ℥iiß. adde *scammon. rosat.* g. v.
electuar. diascordii Fracast. ʒj.
sirup. flor. acaciæ ℥ß. M. F. potio.

Inprimis CLYSTERIBUS ex *lenientibus*, cum *alterantibus appropriatis* junctis, maximum debetur encomium.

℞. *rad. scorzoner. bismalv.* ãa. ℥j.
herb. galeg. scord. mercurialis, malv. endiv. ãa. mj.
flor. chamæm. Romani, verbasci ãa. mß.
caricar. pingv. prunor. Damasc. ãa. n. vj.
Coq. in f. q. seri lactis.
℞. *colatur.* ℔j. *electuar. lenitivi,*
diaprun. solutiv. ãa. ʒvj. ⊕ *δat.* ʒj.
vitell. ovor. n. j. M. f. clyster.

VOMITORIA nonnunquam in principio non frustraneo cum successu à quibusdam adhibita notavit *Excell. D. D. Præses*; verùm ea consultiùs non promiscuè & temerè; sed eo tantùm casu in auxilium vocantur, quando circa primas vias, uti jam innuimus, colluvies vitiosa id indicat, ubi *δiatis correctioribus* impunè uti licet.

Præmissis hisce, sicubi opus est, febris & humorum fervor temperanda sunt, & malignitas corrigenda.

DIAPHORETICA, & ea quidem magis BEZOARDICA, ut corpus sit perspirabile, & sanguini sua constet & *σύστασις* & *κρᾶσις*, adeoque malignitas exsuperetur, apprimè præstant, & reliquis omnibus palmam præripiunt, inprimis cùm opera danda sit, ut materia, quam natura ad cutem transmittit, expellatur. Uti verò apud *Cratonem lib. 2. epist. 37. pag. 408.* prudenter *Weiselius* hujusmodi pharmaca in *duplicem* classem distinxit, ABSORBENTIUM nimirum *καὶ* ἹΔΡΩΤΙΚΩ̃Ν, quod nisi fiat, multiplex oriri solet ambiguitas & controversia; ita distinctio eorundem in *volatilia* & *fixa* à *famigeratissimo D. D. Præside* passim notata & inculcata attendi meretur quàm curatissimè.

Illa quidam magis in principio, & ubi intimior malignitas, seu quòd natura in expulsione cesset, seu, quòd retrocedere petechiæ videantur, cum respiratione difficiliori & aliis circumstantiis, conveniunt; *Hæc* verò, ubi alteratione & præcipitatione magis opus est, magis circa statum & declinationem sunt proficua, utraque pro medici prudentis στοχασμῷ usurpanda.

Ex *priorum* genere sunt *theriaca, camphora,* & inde parata, *Tinctura Bezoardica Michaëlis, Rolfincii, Nobilissimi D. D. Præsidis, mixtura simplex camphorata, spirit.* ♀ *ri, C. C. viperarum, Elixir pestilential. Croll. spirit.* ⊖ *Armoniac. olea bezoardica, essentia myrrhæ balsamica,* & alia similia, abunde hîc illîc à practicis annotata, tum *simplicia*, v. g. *angelica, petasitis, contrayerva*, tum *composita* plura alia. *Aq. Anhaltina petechialis*, cujus *B. Rolfinc. ord. & method. commentator. lib. 11. sect. 2. cap. 11.* meminit, & compositionem ibidem adducit, utramque hîc facit paginam.

Ex *posteriorum* classe sunt *pulveres bezoardici, Sennerti, Rolfincii, Michaëlis*, & aliorum, *bezoardica chimica, minerale,* ♃ *ale,* ☉ *are,* ♁ *ium diaphoretic. pulv. Pannon. rubeus. spec. de hyacintho, lapis bezoar* uterque, licèt occidentalis sit mitior, *diascordium Fracast. C. C. philosoph. terra sigillat. Siles. Lemnia, bezoardic. animale,* ▽ *cordial. H. S.* & quæ ex tanto numero præpollent alia.

Pertinent huc & *sem. citri, card. bened. napi, aquilegiæ, acetosæ,* & exinde paratæ *potiones* & *emulsiones* cum ▽ *ulmariæ, persicariæ, calendulæ.*

℞. *mixtur. alexiter. Knöphel. tinct. bezoard. Michaël,* āā. ℥j.
M. D. in vitro. S. Schweißtreibende Mixtur.

℞. *essent. camphor. alexit. myrrhæ balsam.* ā. ʒj.
spir. C. C. ʒß. *sirup. de succ. citr* ℥ß. M. S. ut suprà.

℞. ℅ *citr. compos. camphorat.* ʒß. S. Balsamisch Hertz-Oel.

℞. *pulv. bezoard. Sennert.* ʒij. *pannon. rubr.* ʒj.
♁ *ii diaphoretici, ebor. s.* ▽ *præparati* āā. ℈j.
bezoard. ☉ *ris* ℈ß. M. S. Bezoardisch Hertz-Pülverlein auff etlich mahl.

℞. *C. C. philos. præparat.* ʒj. *lapid. bezoar oriental. bezoard. mineral.* āā. ℈j. *unicorn. veri,*

♁ *solar.*

♁*solar.* āa. ℈. xv. M. f. l. a. pulv. S. ut supra.

Diureticis etiam impropriè dictis, & sanguini suus restitui potest tonus, & ichori à naturâ separato abitus maturabitur, & simul alteratio auspicata inducetur, quo nomine inprimis *clyssus ♂ii ♁atus*, *Tinct. flor. 4. cordial. acidula*, *serum lactis caprini*, *spirit. ⊕l. ♂tis*, *⊕li philosophic.* ex usu erunt.

Hinc & alterantibus & confortantibus, sitim præprimis & æstum febrilem simul respicientibus, utendum, qualia inprimis conveniunt *acetosa*, quæ styptica paulò sunt, & tum sanguinis serum augent & diluunt, tùm ichorescentiam impediunt, qualia sunt præter jam dicta, *tinct. violar. borrag. bugloss: magister perlar. corall. tinct. corallior.* cum *spirit. C. C.* inprimis verò temperata: *decoctum rasur. C. C.* à *Simone Pauli* tantoperè dilaudatum, *digress. de febr. malign. pag. 4. §. 2. decoct. hord. c. C. C.* & *succo citri*, *decoct. citri M.* ▽ *cord. temper. H. S. spec. de hyacintho. confect. alkerm. incompl.* & exinde parati *pulveres*, *julepi*, *emulsiones*, *potiones*, *gelatina C. C. dulcis* & *acida* &c.

℞. *rad. acetosæ*, *scorzoner.* ãa. ℥j.
flor. rosar. rubrar. borrag. bugloss. ãa. mß.
hord. mund. cerasor. acidorum ãa. mj.
passular. minor. ʒvj. *pom. citr.* n. j. *cinnamomi acut.* ʒij.
Coque in f. q. ▽ ad tertias. Colaturæ adde
clyss. ♂ii ♁at. q. f. pro gratâ aciditate,
confection. de hyacintho ʒj. *sirup. corall. Quercet.* ℥j.
M. F. potio.

℞. ▽ *cordial. H. S.* ℥iij. *namphæ*, *ulmariæ* ãa. ℥j.
tinct. 4. florum cordial. ʒij. *spirit. ⊕l. philos.* ʒß.
sirup. rub. idæi, *de scorzonerâ* ãa. q. f. ad gratiam.

℞. *sem. nam. citri*, *cardui benedict.* ãa. ʒij.
4. frig. major. ãa. ʒß. ▽ *cordial. H. S. sambuci*, *scorzon.* ãa. q. f.
F. l. a. emulsio, adde *pulv. bezoardic. Sennerti* ʒj.
sirup. de cort. citr. succ. scord. ã. ℥ß.
M. D. in fictili S. Stärckmilch.

EXTERNA pro variâ intentione evocandi, derivandi, revellendi, & confortandi sunt varia, diversis in locis applicanda.

PULSIBUS in carpo & CORDI applicari queunt *epithemata ad cor*, ex *zedoariâ, citro, camphorâ, speciebus pro epithemate cordis, ▽ bezoardicâ camphoratâ, ✠ bezoardico, balsamo rutæ pestilent. ℅ scorp. Matthiol. citr.* aliisque.

℞. ▽ *carbuncul. Imper. Max.* ℥iij. *rosar. fragrantiss.* ℥ij.
cinnamom. meliss. c. vin. āa. ℥j.
✠ *rosati* ʒiß. *conf. Alkerm.* ʒij.
M. pro epithemate. S. Hertz-und Pulß-Überschlag.

FRONTI *anacollemata* & *epithemata* humectantia ex ▽ *rosarum, samb. rut. verben. nucl. persicor.* pro dolore & vigiliis corrigendis utiliter adhibentur.

DORSO *unguentum Aëtii*, ex ⊕ & *oleo chamomillæ*, vel *scorpion.* potius, additâ *camphorâ* affricare licet, quod in Italiâ miro cum successu semper adhibitum esse *Crato* refert *lib. 1. epistol. 11. pag. 221.* ad eliciendas maculas, quas potenter evocare testatur *idem lib. 2. epist. pag. 419.* Oleum ipsum obstrueret poros; sed additum ⊕trum leni frictione aperit eosdem, & exhalationem promovet.

PLANTIS PEDUM *raphanus* comminutus, (quod & in CAPITE locum habet) prius mundatis iisdem sale & aceto, vel *fermentum* cum ⊖ & ✠ inter linteum duplicatum applicatur. Eædem & *spiritu bezoardico camphorato* inungi queunt.

Quod ad symptomata attinet, vigilias, vel affectus soporiferos, dolorem capitis, vomitus, hæmorrhagias, ardorem & nigredinem faucium, &c. iis ex propriis satisfaciendum fontibus, hâc semper observatâ cautelâ, ut cum bezoardicis, nec sine respectu ad malignitatem iisdem opposita remedia in usum vocentur, quibus jam ulterius non immorabimur.

CAPUT XI
Diætam præscribit.

DIÆTA restat, quæ in legitimâ sex rerum non naturalium regimine consistit, & triplex est: *Naturalis, Vitalis*, & *Animalis*.

In NATURALI CIBI sint humidi & temperati, prosunt *juscula avenacea* cum *passulis*, *gallinarum* & *caponum* cum

succo

succo citri & aliis condita, *caro vitulina, agnina, bovina, cervina, perdices, gallinæ, capones* &c. siquidem ægri illis ferendo sint, quod non æquè contingit, concedi queunt. Cibi nimium *salsi, saccharati, aromatisati*, vitentur, ut & *fructus horarii* omnes, qui facilè corrumpuntur, & fermentationem sanguini conciliant.

POTUS largior ægris non adeò prohibendus: sit refrigerans ex ▽ *hordei, passulis, rad. scorzoneræ.* Potum continuum, in quo sit *C. C.* plus auxilii, quàm omnia alia medicamenta afferre, seriò testatur laudatus sæpiùs *Crato lib. 1. epist. 11. p. 221.* Substitui quoque potest gelatina C. C. *Cerevisia* sit tenuior, defæcata, cum pauxillo *spiritus* ⊕*li*, ⊖*lis*, vel *tinct. cordial.* permixta. *Lac* vitetur, argumento *5. aphoris. 65.* & *vinum* inprimis, cujus potu accelerasse sibi obitum plures visi sunt, teste *Thom. Jordano de pestis phænom. tract. 1. cap. 19.* sin ▽ vel *decoctum hordei* arrideat, iisdem & aliis cruditatem emendantibus corrigi poterit.

In VITALI AER sit ex calido *temperatus*, ne caliditate continuam augeat febrim, æger loco moderatè calido, ab omni aëris injuriâ & intemperie libero, munito, & æquali teneatur. *Frigidus* omnis videtur. Auro digna est observatio sæpiùs hactenus *laudati D. D. Præsidis* omnes illos, qui se improvidè aëri exposuerunt, hoc morbo detenti, certæ se exposuisse perniciei, & vitæ instantaneo periculo.

In ANIMALI SOMNUS & VIGILIÆ debitam servent alternationem, quorum alterutra si excesserint, debitis modis corrigantur. Nocet somnus sub primum morbi accessum initus, non priùs sumpto bezoardico.

MOTUS intempestivus exeso, & QUIES ægro cordi sit, ut continuatâ diaphoresi corpus exteriùs mittere possit miasmata, & tono suo pristino restitui.


ALVUS sit aperta; sin cunctetur, clystere aut suppositorio erit emollienda.


ANIMI denique AFFECTUS, præsertim *iram, tristitiam, amorem*, quorum magna in sanguinem vis est, sedulò fugiat ægrotus, ne medicus oleum & operam perdat; nec ipse ægrotus opinione majorem sibi malignitatem, ceu certum mortis nuntium, ante oculos sistat, sed potiùs bonâ spe in DEUM confisus meliora expectet.

Et

Et hæc ſunt, *amice Lector*, quæ de FEBRI PETECHIALI, hoſte vitæ hominis mirum quantum! inſidias ſtruente, brevitati ſtudentes dicere conſtituimus.

DEO TRINUNI SIT LAUS, HONOR ET GLORIA!





STigmata corporibus gratus minus hoſpes inurit morbus, & hac turpi fraude malignus adeſt.
Stigmata Tu deles aptè, reddisque nitori corpora; ſic laurus parta labore micat.

Cl. Dn. Doctorando benevolâ mente applaudit & gratulatur

Præſes.

VOn Aertzten halt ich viel / von Fiebern nichts in allen /
Doch seynd sie auff Papier viel besser als der Haut /
Sein Fieber / werther Freund / ist sonder Fleck gebaut /
Drumb muß es Mir und Dir zu hohen Preiß gefallen.

Dem Herrn Doctorando, seinem hochwehrten Gönner und Freunde schriebs Glückwünschend zu Ehren

Theodoſ. Lehman / B.R.D. und Adv.

QUid Tibi nunc *febris* medicâ confecta palæſtrâ
Portendit maculis hæc variata ſuis?
Aurum VIRGILIUS de ſtercore colligit ENNI:
Aurum de maculis qui legat, ecce virum!
Immaculatus honos maculas ſed & aureus iſtas
Conſequitur: febris res mala facta bona eſt.
Quare age ſexcentas poſthac Tibi milleque febres,
EICHHORNI, ipſe inſons nec maculatus habe!

Viro Nobiliſſ. Clariſſimoq; Dn. EICHHORNIO,
Med. Ddo. digniſſ. gratulandi animo f.
Ejusdem apud Excellentiſs. Dn.
D. SPIZIUM, Juridic. Jenenſ.
CONSALINI.

F I N I S.